



1.

2.  
ge  
3.  
ent-  
mone  
de mi  
ni 12  
in der  
Bundest

4.

5.

6.

7.

DISSE<sup>10.</sup>  
DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS  
DE  
**F A L L A C I A** <sup>9.</sup> <sup>18.</sup>  
EXAMINIS CHEMICI  
IN EXPLORANDA  
INTIMA THERMARVM NATVRA.

Q V A M  
P R A E S I D E  
**D A N I E L E W I L H E L M O**  
**T R I L L E R O**

PHILOS. ET MED. D. CONSILIARIO AVL. ELECT.  
MEDICINAE PROFESS. PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.  
SCIENTIAR. BONONIENSIS SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS  
RITE IMPTERANDO  
D. XV. MAII A. C I O I O C C L X V I I  
H. L. Q. C.



PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
**IOANNES FRIDERICVS MICHAELIS**  
WVRCENENSIS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTEBERGAE,  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT  
ACADEMIAE A TYPIS.

MISSERATIO MEDICO INAGARIAE  
DE  
E A L L A G I A  
EXAMINIS CHEMICO  
IN EXPLORANDA  
INTIMA THERMAM NATURA  
PARSIS DE  
JANIE WILHELM  
TRIFERO  
PRO GRADA DOCTORIS  
ET MED ET CONSILARIO AVI. ERECT.  
MEDICINALIS PROFESS. PRIMARIO ET LITERATO. TECIO.  
SCIENTIAE HONORABILES RODIFI  
CITATE INSTRUMENTO  
ANNES ERIDERICUS MICHAELIS  
HISTORICO EXAUDITORIA EXAMINI SUBMITTIT  
MEDICINA. PHARMACIA  
PHYSICA. BOTANICA  
LITERATURA. CAVILLIA. DISPUTATIONE  
ADVERBIA. VERBA. TUTORIA



EXERCITATIO CHEMICO - PHYSICA,  
DE  
FALLACIA  
EXPERIMENTORVM CHEMICORVM  
AD  
INTIMAM THERMARVM NATVRAM  
EXPLORANDAM  
FRVSTRA PLRVMQVE SVSCEPTORVM.

§. I.



Inter cetera innumera beneficentissimi Creatoris nostri munera, ex immensa ipsius gratia et misericordia, Mortalibus aegris gratis concessa, maximo suo merito, et praecipua dignitate, potissimum eminere Fontes sic dictos medicatos calidos, sive Theras; ut jam frigidos, sive Acidulas, ut dicuntur, studio praetereamus, neminem fore arbitramur rerum humanarum ac physicarum vel leviter tantum peritum, qui hac de re ubivis sane confessa et explorata, ullo modo dubitaverit.

A 2

§. II.

## §. II.

Nullum enim alium in finem, servidos istos Fontes primi-  
tus conditos fuisse, quam ut e cunctis animalium, Hominum  
saltim causa, passim erumperent, auxiliaque variorum morbo-  
rum profiterentur; vel exinde generatim, liquidissime, opinor,  
patet, quod a Sanis nec sponte, nec cum volupate, experantur,  
nec sine gravi praesentis Sanitatis detimento, funestoque Vitae  
ipsius discrimine, facile in usum advocari possint: Vid. *huc AR-  
TEMIDORI Lib. I, cap. 66. pag. 55. add. PLINII Lib. XXVIII,  
cap. 4.* Ut specialia et manifestiora Virium medicamentosarum  
infistarum indicia jam taceam, quae ex fumante minacique ardo-  
re, fragranti ac fulphuroso Odore, arque Sapore imprimis insi-  
lito et nonnihil nauseoso, a quovis, rerum medicarum etiam im-  
perito, tanto certius colliguntur.

## §. III.

Agunt nimirum istae ferventes Thermae medicatae, ad in-  
star omnium aliorum generosiorum ac valentiorum Remedio-  
rum, quae sicut sanis Corporibus, ubi nihil scilicet noxiū  
emendandum et egerendum fuerit, atrox damnum inferunt,  
dum sana nempe, virtute sua ingenerata medica, violenter ad-  
oriuntur; ita contra aegris, ex variis caussis modisque vitiatis  
ac corruptis, materiam nocendi intus haerentem fluctusque tur-  
bidos carent, eadem virtute medicinali, sensim demunt atque  
eliminant, ipsamque demum Salutem haec tenus quasi exulem,  
felicissime reducunt, ut scilicet cuivis notissimum et explora-  
tissimum.

## §. IV.

Quamobrem egregie non minus, quam pie, pro more nem-  
pe suo laudatissimo, ita quandam scripsit Celeberrimus noster  
per Orbem fere universum, HOFFMANNVS, in eximia Differ-  
tatione, *de Examine Chemico Fontis Sedlicensis*, in Bohemia:  
*Innu-*

Innumera quidem divinae bonitatis munera sunt, quibus Mortalium incolumenti integerrime prospexit, et in primis in tanta corporis humani fragilitate ac morbos dispositione, largissimam concessit Remediiorum copiam, ut ubivis ad quodlibet Corporis vitium, saluberrima occurrat Medicina: Sed nihil aequo eius summam Benignitatem ac providentiam erga miseros aegrotantes, luculentius demonstrat, ac beatissimus Aquarum salubrium, medicatis viribus imbutarum, in omnibus fere Regionibus scaturientium, proventus. Sive enim diffusam et communem earundem utilitatem, quam in morbis maxime rebellibus, praefstant, sive mirabilem earum originem et ingredientia, seu Elementa, quibus virtutem suam exerunt, sive constantem per multa saecula, Scaturigenum, spectemus: certe non possumus non benignissimam summi Aquilegis providentiam atque infinitam sapientiam et venerari et admirari. Idem ille Vir immortalis famae, alibi, in Dissertatione eruditissima de Acidularum et Thermarum, ratione ingredientium et Virium, Convenientia, pari modo: Animadvertisimus, non sine summa propitiis Numinis Veneratione, et insigni ejus curae, quam pro Mortalium salute gerit, admiratione, undiquaque, non tantum in omnibus Regionis, multiplicita contra morbos, praesidia reperiri: Sed et summo beneficio, concessos gratis esse in omnibus fere cogniti Orbis Regionibus, ad saluberrimum usum, numerosos et calidos et frigidos Fontes, qui eximia virtute instructi, alia omnia arte et ratione excogitata Medicamenta, in conseruanda valetudine, Morbisque sanandis, longissime exsuperant. Hactenus quidem ille Medicorum princeps.

### §. V.

Verum jam dudum, ante nostrum HOEFFMANNVM, ipse Stoicorum Coryphaeus, SENECA, ore fere christiano, id ipsum ita

A 3

ita candide fassus est, Lib. IV. *de Beneficiis*, Cap. V. Non dat Deus beneficia? Quid ergo medicatorum Torrentium Veriae? Quid in ipsis Litoribus, Aquarium calentium exundatio? Cui, pari pietate, concinit CLAVDIANVS, fumiferum Patavinorum, seu Venerorum, Aponum, grandifono Carmine panegyrico, ita adloquutus:

Ille pater rerum, qui Saecula dividit astris,  
Inter prima poli, te quoque, sacra dedit,  
Et fragilem nostri miseratus Corporis usum,  
Telluri medicas fundere jussit Aquas;  
Parcarumque colos exoratura severas,  
Flumina laxatis emicuere jugis.

Quibus denique consona etiam leguntur, apud CASSIODORVM, Lib. II. *Variar. Epist.* XXXIX. in primis apud THEODORETVM, Orat. I. *de Providentia*, pag. 49. et PHILON. IVD. Lib. *de Abraham*, pag. 291. et *de Insomn.* p. 442. BASILIVM MAGNVM, Homil. IV. in *Hexaëmer.* pag. 45. Tom. I. Opp. et *Epist.* VIII. p. 51. Tom. III. et *Epist.* CCCLXVI. p. 356. item DIODOR. SIC. Lib. V. c. X. p. 338. T. I. IVLIVM FIRM. apud SALM. Ex. Plin. p. 41. in primis hic vid. CONSTANTINI M. *Orat. ad sanctor. coetum*, cap. 7. pag. 575. apud EVSEBIVM, et GRÉGOR. NYSSEN. *de Beneficent.* p. 241. Tom. II. item STEPH. LE MOYNE *Var. Sacr.* p. 1054. Vbi plura, quae hic spectant, lectu dignissima. Inficitam ergo prorsus fabulam sapit, ipsas scilicet Thermas ex Angelorum malorum ad infima Tartara damnatorum, lacrymis, olim ortas fuisse, ut quidam Veteres Religionis empæctæ illepidio cum ioco, profane quondam tradiderunt, et cum ipsis CELSVS, ut notavit ORIGENES, contra CELSVUM, Lib. V. cap. 7. pag. 268. ubi vid. GUILIELMI SPENCERI *Notas*, pag. 69. et RIGALII *Observat.* ad TERTULLIANI Lib. *adversos Valentianos*, cap. XV. pag. 257. Sed haec obiter.

§. VI

¶. VI.

Prae reliquis autem ferventibus ejusmodi Fontibus salutiferis, qui benigne, passimque, in plurimis Terris emicant, de quibus copiose ANDR. BACCIVS, *Thermas* imprimis sic dictas *Carolinas*, CAROLO IV. fasces imperii tum tenente, quondam, casu quodam fortuito, ut fama quidem circumfertur, secundiorre fidere, repertas, singulare pretium, ingentemque aestimationem, justo suo merito, jam dudum consequutas fuisse, neminem sane, opinor, fore, qui nesciat.

§. VII.

Tanta enim horum antiquissimorum Fontium Calentium, ubivis Terrarum, est profecto celebritas, ut aetum certe ageret, et in ipso quasi meridie, facem intempestive accenderet, quisquis in supervacuas ipsorum laudes, cum molesto Lectorum et Auditorum taedio, longius exspatiari velleret. Eodem enim, immo, potiore adhuc jure, splendidum illud Elogium merentur isti calidi Bohemici Fontes, quod similibus Italiae laticibus vapores igneos exhalantibus Antoninis, non immerito tribuit supra laudatus CLAVDIANVS, carmine canoro ac numero, in hunc modum, illos adfatus:

*Salve paeoniae Largitor nobilis Vndae!*

*Dardanii salve Gloria magna soli!*

*Publica morborum requies, commune Medentum*

*Auxilium, praesens Numen, inemta Salus!*

In ipsis nempe Thermis Carolinis toto Orbe celeberrimi, manifesta quasi divum vestigia ubivis adeo cernuntur, ut cum eodem mellifluo Vate exclamare, justum piusque sit:

*Quis casum meritis adscribere talibus audet?*

*Quis negat, Autores haec statuisse Deos?*

Item cum alio poeta, REGINO nempe, apud CL. BYRMANNVM,  
*Antholog. Lat. Lib. III. p. 383. Tom. I.*

*Quis*



*Quis Deus has incendit Aquas? quis fontibus ignes  
Miscerit, et madidas fecit discurrere flamas?  
In regnis, Neptune, tuis Vulcanus anbelat.*

Tanta enim omnimodaque pollut medendi virtute efficacissima, in variis viscerum humanorum querelis levandis, ut, si ullum forsitan derur in universa rerum Natura, Medicamentum sic di-  
cium polychrestum, aut panchrestum, in officinis quidem phar-  
maceuticis frustra huc usque quaesitum, et aeternum forsitan  
quaerendum; illae certe tam magnificent et invidiosum quasi  
nomen, ex praestantissima sua dignitate, unice promereri  
videantur.

#### §. VIII.

Omnes namque Remediiorum omnia Vires ac potestates,  
alibi tantum vagas et dispersas, hactenus certe Medicis cognitas,  
in Thermis his, ut et *Embsensibus*, *Wisbadensibus*, *Baiboni-  
ensibus*, *Bourboniis*, *Aquisgranensibus*, aliisque, exemplo  
prorsus inaudito, et ingenti divinae providentiae miraculo, ami-  
co arctoque vinculo consociatas esse, ex quotidiano earum usu  
mirabili, affatim sane ubivis constat: adeo, ut potiore nunc ju-  
re, his ipsis Thermis convenient mirae istae Laudes, quibus  
*Brafficam* suam nimis adamamat, olim sic cumulabat M. CATO:  
*Quae vocantur septem bona in Commixturam, natura omnia  
haec habet Braffica: immo, inquam ego, Natura, omnia  
haec habent Thermae.* Conf. hoc PLATO, in *Timaeo*, apud  
CL. BLAS. CARYOPHIL. Diff. de *Marmor. antiq.* pag. 42. et rur-  
sus idem, Lib. VI. de *Legg.* pag. 617. item et PASCHAL. CA-  
RYOPHIL. Diff. de *Thermis Herculanicis*, pag. 32 seqq.

#### §. IX.

Nimirum, per omnia corporis humani aestuaria quasi et  
spiraacula, vires suas potentissime, atque simul, quod maxime  
mirum, mitissime, exerunt: dum Vomitus facile cident, Alvum  
blande

blande subducunt, sudores leniter movent, arentes salivae fontes sensim recludunt, et tandem Vesicam ad ejiciendum immundum saccatumque Liquorem, placide sollicitant: Haecque salutaria munia cuncta non solum, sine ulla Corporis noxa, aut notabili debilitate inducenda, obeunt; sed et cum singulari ejusdem levamine, ac vigore addito, exequuntur: adeo, ut hinc, jure quodam praecipuo, aptari illis possint ista eximia CASSIODORI: Scilicet, sine tormento, Cura, sine horrore, Remedia, Sanitas impunita, Balnea Thermarum contra diversos dolores Corporis attributa: ut aegri, quasi aliquo desiderabili Cibo refecti, valentiores queant protinus inveniri.

## §. X.

Quod adorandum paene divinum Miraculum quum pariter venerabundus, animadverteret magnus noster HOFFMANNVS, in hunc modum, verissime quondam scripsit, in praeclara illa Dissert. de Acidularum et Thermarum Convenientia, jam supra merito laudata: Thermae et Acidulae per omnis generis emunctoria, per Alvum, Vrinam, insensibilem Transpirationem, per Salivationem, quandoque etiam per Vomitum, evehunt atque evacuant, idque, quod mirabile, aliisque Remediis negatum est, citra singularem irritationem, Viriumque dejectionem. Ex quo intelligitur, utique divina haec esse Remedia, et non immerito, a Veteribus, fontes hos sacros appellari, utpote qui omnibus medendi indicationibus egregie respondent: quibus eximiis plane verbis addantur quaequo, si tanti quidem, quae in eundem sensum, quondam dicta in Descriptione Thermarum Carolinarum metrica, Tomo V. Poematum nostrorum, pag. 83. sqq. inserta: ubi plura hac de re obseravyimus, in subjectis ipsi poemati Adnotationibus. Conf. PASCHAL. CARYOPHILY Diff. de Vsu et praestant. Thermar. Herculanae. p. 67. sqq. ut et ill. nostri BERGERI Dissert. II. de Therm. Carol.

## B

## §. XI.



### §. XI.

Inde igitur minime mirum, usibus his suis paene innumeris atque inenarrabilibus, Thermas has Carolinas quam plurimos omni aevo, excitasse Laudatores, ac vocales praecones, qui in suas laudes largissime effunderentur: Quis enim nescit SOMMEROS, PAYEROS, STROBELBERGERS, PANSAS, HILLGERS, LANGIOS, REVDENIOS, OLEARIOS, SCHMUVZIOS, GAECE-  
NOS, aliosque plures, alibi jam mihi allegatos? ne quid dereum  
centioribus, ut CAMILLO EVCHERIO Lib. II. *Inarimes*, p. 107.  
in *Nor.* et aliis, in medium adferam, de quibus infra, suo loco, dicetur.

### §. XII.

Quorum praeclaros ausus ac generosos Conatus ut fama laudatrice dignos jure censeo; ita ex altera parte, simul ingenue doleo, plerosque ex his ipsis commendatis Thermographis, quod tamen pace ipsorum manium, dictum sit! communis Gentis humanae Vitio, inexplicabili abdita sciendi cupidine abreptos, abstrusiora potius, humanae mentis indagini denegata, sensibus que nostris impervia et inaccessa sectatos fuisse; quam propria, dilucidiora atque Saeculo aliquando profutura, investigasse.

### §. XIII.

Dum nempe nunc in indagandis portentosi istius, perennis, atque semper aequalis Thermarum fervoris, causis, nunc in perscrutandis ipsis istarum primis Elementis, et diversae Naturae Indolisque particulis, corpusculisque quasi primordialibus, ut sic loquar, vi illa medica adeo usque ubivis decantata, potissimum pollutibus, nunc in aliis subtilioris Curiositatis ratiunculis explorandis, omnem operam operose nimis collocarent, omneque veluti aevum tacite inaniterque contererent.

### §. XIV.

## §. XIV.

Licet enim ejusmodi Anatomen quasi Fontium medicatorum chemicam solerter iustitutam minime damnum; quin potius cum LISTERO, SCHOTTO, IACOBI, aliisque, et scitu dignam et jucundam omnino censem, atque hinc cum BACONE VERVULAMIO, Viro isto summo, utique existimem, in eruendis ipsis Naturae rebus, utendum esse *experimentis Vulcani, machinis Daedali, et consiliis denique Mineruae*: Tamen et illud simul candide fatendum, per ista ipsa Ignis violentioris Examina exploratoria, nec Medicos in Medicina ipsa facienda, fieri feliores, aut prudentiores, nec aegrotos reddi saniores.

## §. XV.

Quid enim quaeso, utrique horum profuerit, si paullo scrupulosius indagaverit, exactiusque demum cognoverit, quot nempe scrupulos, Granave Salis Alcalini, aut Terrae calcariae, similisve per saeva indomiti Ignis cruciamenta, novi producti, una Thermarum Libra in se contineat? aut, quot diversos Colores, pietasque caudas pavoninas, ab affusis sensim varii generis indolisque Liquoribus, aut Spiritibus, Aquae induerint? Item, quale pondus, qualesque Caloris gradus Vndae istae habent, quamdiu fervorem servent, qualis foetorem ac tetram mephitis exhalent, ubi computruerint? quot ludici porro sic dieci Pisolithi in Thermis reperti quondam sint; ac quot denique pallidae Ranae viridesque Lacertae crusta lapidea tanquam tunica molesta, circumvestitae, limoque lento a rigido circumfusae fuerint? et quae plura id genus sunt strenuae quasi inertiae, aut desidiosi negotii, ventosa Experimenta.

## §. XVI.

Scilicet multa Aegrotorum millia iamiam feliciter per Thermas, curati snerunt, qui tamen haec bella et praeclara omnia secure  
B 2



secure nesciverunt: Multa eorum millia quotidie adhuc curantur, qui eadem omnia impune ignorant: Et multa denique millia pariter in posterum curabuntur, quibus omnibus haec ipsa sine detimento, aequa ignota et inexplorata penitus manebunt.

### §. XVII.

Ipsi quoque Medici ex solis illis violentis experimentis Vulcaniis minime liquido perdissent, quibus nam praesertim in morbis et aegritudinibus, Thermarum usus fidenter suadendus sit, et in quibusnam contra, cautius disuadendus; aut, ubi illae auxilium adferant, aut exitium.

### §. XVIII.

Quibus omnibus potissimum accedit, per illa ipsa rudio-  
ra, rigidiora et quasi crassiora Experimenta chemica, generatim,  
Corporum naturalium subtiliorem Naturam; speciatim, autem  
Thermarum et Fontium salutarium, subtilissimam et incompre-  
henibilem fere indolem et compositionem vix, ac ne vix qui-  
dem, comprehendendi, ac liquido explorari posse: Quin potius  
semper illa ita esse comparata, ut ipsum vel solertissimum Ex-  
ploratorem dubium et ancipitem relinquant, utrum ea ipsa per  
ignes illos tortores, producta diuersa noua corpora, re vera,  
antea in Thermis ipsis adfuerint, ceu insita nempe atque pro-  
pria; an vero potius adventitia et addititia sint, ac postea demum  
per illa saevissima ignis voracis furacisque tormenta, immutatis  
prius, demitis et additis, destructis et innovatis prioribus ipso-  
rum corporum formis, particulis, corpusculis, figuris, pro-  
prietatibus, nexibus, vinculis, mixtis, proportionibus et si-  
milibus, aliunde accesserint, et nova quasi creatione, concre-  
tione, et corporatura coaluerint? quando nempe sic, ut coni-  
cere par est, dissolvuntur positurae ipsorum principiorum, at-  
que

que motus et proprietates naturales penitus impediuntur: unde priorum nativarum particularum abitu, novarumque contra aditu, atque sic mutato ordine, ipsae res Naturam suam mutant, seque corpora tum in alias plane formas convertunt. Ignis enim, recte sic iudicantibus SENECA atque PLINIO, ea imensa et improba rerum Naturae est portio, in qua dubium adhuc omnino sit, plura absunt, an pariat?

*Nam, quo non penetrant? Quovis in corpore partes  
Exagitant, rumpunt, lacerant, solvuntque, fugantque  
Dispositas prout inveniunt; si forte quietas,  
Ac pressas, ineunt aegre, ac molimine longo.*

Quiemadmodum de Ignibus elegantissime, simulque verissime, cecinit eminentissimus et splendidissimi muneric dignitate, et Carminis praesertim plusquam Lucretiani maiestate, Auctor, MELCHIOR POLINIACVS, Lib. V. *Anni - Lucretii*, operis aeternum duraturi.

### §. XIX.

Quum igitur tam indomita sit vis flamarum et immensa fere potestas, ut diruat, aedificet, quadrata quasi rotundis mutet, in novas induat formas, et omnia spisset, expandat, contrahat, diducat, differat, ac mille modis conurbet ac refingat; id quod quam plurimis argumentis et experimentis solidissimis, liquidissime ostendit immortalis BOERHAAVIVS, in notissima illa ubivis admirandae prorsus industriae et ingentis frugis plenissima Exercitatione, de *Ignis Theoria*: Hinc profecto non mirum, vel ipsos chemicorum praefantissimos et experientissimos, ingenue faffos fuisse, quod non semper ea noua producta prius ipsis corporibus naturalibus inferta et ingenerata fuerint, quae per saevas quasi flamarum fidiculas et equuleos, ipsis, vi summa, acerbissime denum extorta, atque ad fallen-

dos credulorum nimis et incautiorum sensus, severissime protracta essent.

§. XX.

Audiamus ergo, si placet, laudatissimum modo virum, omnium certe Chemicorum rationalium extra controuersiam, principem, BOERHAAVIVM inquam, Tomo I. Elementorum Chemiae, operis prorsus incomparabilis, de Artis Theoria, pag. 72. de Animalibus ita pronuntiantem: *Ipsa vero separatio partium ita producta haud docet, in corpore tales extitisse, quales iam apparent: Quum enim actionibus illis, quibus separatarum divulgatio peracta fuit, ipsa haec corpuscula miris queant modis mutari, falso saepe colligitur, composita possedisse reapse Elementa haec. Atqui vires novae agendi in divisis nascentur, quae nullo penitus effectu se manifestantur unquam in corpore, unde eductae partes; quod infinitis quidem exemplis docemur. Vtraque ergo patet ratione, non esse adeo, ut Chemici putent ex vero, se Arte sua, dare prima Elementa rerum, atque docere inde, quid sentiendum de rebus complexis, quoties constitit de elicitis inde per chemicas operationes, partibus: Quod singulare arduumque Argumentum pluribus ibidem persequitur novus ille Hermes Trismegistus et felicior nostri saeculi Prometheus, in sequentibus: Quorsum et in primis spectat locus ille eximius, Tom. II. Element. Chem. p. 33. Nihil errores peperit turpiores, quam opinio nata inter chemicos, quod sales in plantis energetici tales praeexitissent, quales illi violento igne produxerant. Non licebat cautis colligere, fuit in planta hic sal; quia ope ignis, talem eduxi. Sed Artis prudentia dilabat: Talem salem hoc definito Igne, eduxi de tali planta; ergo in illa planta erat Materies nativa, quae hoc modo tractata, hunc Salem dedit; non ultra. et pag. seq. 34. Hic Sal nativus succum plantae Acetosae, exprimit, ille alter, filius*

filius ignis, ante talis in humore plantae non praeeexistens,  
sed nova, ut HELMONTIVS satis proprie exprimit, Creatura  
est. Haec ille perquam egregie, imo divine. Conf. si placet,  
quae de eadem fallacia chemica nuper ipsi monuimus, in *The-  
sauro pharmaceut.* Tom. II. pag. 603. item Tom. IV. poem.  
nostr. phys. moral. pag. 57. in *Not. Edit.* nov. II. Sed audi  
iterum eundem summum BOERHAAVIVM; in *praelectionibus  
Academicis Hallerianis*, Vol. I. pag. 146. et pag. 360. ubi  
haec verba notatu sane dignissima, leguntur: *Verum quis sa-  
nae Mentis homo, indolem corporum aestimet, ex ea indole,  
quam ea corpora corrupta et putrefacta induunt!* Quia cer-  
te ratione, Hordeo facultatem inebriandi tribueremus, quia  
ex eodem hordeo, post varia Aritis tormenta, et Cerevisia,  
et Alcohol inebrians parari potest: Praesertim vero dignissi-  
ma sane est, quae decies repetita legatur, eiusdem maximi Vi-  
ri luculentissima et Latinissima simul Oratio: *De Chemia suos er-  
rores expurgante.* Add. ipsius HOFFMANNI Diff. de Element.  
Aquar. min. et de principiis Font. Medicat. in Germ. et ali-  
bi saepius, praesertim in *Observat. Chemicis*.

### §. XXI.

Sed et id ipsum frequentiore experientia edoctus, pariter  
candide perhibuit acerrimi iudicii et felicissimi ingenii Medicus  
quondam ac Chemicus, IOANNES BOHNIVS, quo venerando  
olim et fidelissimo doctore insigniter splenduit Lipsia, in Dis-  
sertatione chemico-physica I. de *Corporum Dissolutione*, his  
quidem verbis: *Verum attendere conveniet, annon idem  
Ignis, dum partes concretorum, in ipso solutionis, seu secre-  
tionis opere, exagitat, has simul in minores, quamvis pri-  
mo intuitu, homogeneas discerpat, et per consequens, barum  
figuram et situm ita immutet, et sub alia specie, secreta haec  
nobis appareant, ac re vera sunt? id quod a posteriore,  
hoc videtur confirmare, dum plurium corporum per chemiam  
sepa-*

separatae partes, si denuo commisceantur, et quocunque artificio, combinentur, minime tamen ita sibi connubant, ut compositum inde emergens priori mixto simile prodeat, multo minus idem cum illo, evadat: v.g. quamvis Vini, aut Tartari partes studiose satis colligas, commisceas, coniungere labores; at nunquam tamen idem, quod olim haec constituebant, conficies Vinum, aut Tartarum. Ita, ut recens hinc ambiguitas emergat, an nimur illae secretae et disiunctae substantiae concreto integro actualiter inextiterint, adeoque saltem separantur; an potius per Ignem simul, velut commutentur, et per Colligationis alicuius modum, quasi Nova, parentur<sup>2</sup> quod et ibidem, in sequentibus, sat multis argumentis gravissims solidissimisque uberioris probatur et confirmatur: ut et ab HOFFMANNO, BERGERO, et aliis.

### §. XXII.

Immo denique, ipse ille ventosus gloriofusque nimium philosophus per Ignem, HELMONTIVS inquam, ipsius Artis chemicae alioqui supra fidem, diligentissimus et studiosissimus Cultor, veritatis tamen viribus victus, idem illud negare ausus non est; quin potius rem ipsam, ut nimur est, ingenue fassus, ita aperte scribit in Tractat. de Potestate Medicaminum, 36. sqq. pag. 456. *Sensi praeterea, Chemiam dare operationes potentiores, et absolutores, et per eandem parari, quae antea non erant.* Neque enim Oleum laterinum inerat formaliter in oleo Olivarum: *Vt nec spiritus salis, salti, vitriolive, vitriolo, etc.* Nam per ignem, acrimoniam sumunt, ut Mel, Saccharum, Manna, Ros, Terra, etc. *Alio proinde Corrosionem suam deponunt, ut succus citri, flamma, Ranunculus, piper aquaticum, et similia.* Errant ergo, qui adaequate spiritus ex concreto, aestimant. Ignis enim, quem sit Mors rerum, semina rerum si non totaliter destruat;

*struat; at saltim insigniter transmutat. Itaque alibi prae-  
paratio transmutat Materiam totam, ut in Magisteriis: ali-  
bi vero, propter sequestrationem quorundam, relicta tantum  
mutat, acuit, perdit, vel consumit. Tertio denique, per  
adiuncta subinde, res ipsae simul adiunctis, diversimode ab  
igne transmutantur, et neutrum fiunt, ut Vitrum, quod non  
amplius Cinis et Arena est.*

§. XXIII.

Ceterum, quod sic de acerrimo illo, caustico et aqua fere  
stygia vix inferiore Spiritu, qui ex dulcissimis illis et mitissimis  
substantiis, *Melle* nempe atque *Saccharo*, per chemiam, pro-  
lici solet, monuit hic HELMONTIVS; id uberior experimentis,  
confirmant ANGEL. SALA, in *Saccharologia*, Cap. V. p. 164.  
sqq. WILLIS, Tract. de *Scorbuto*, cap. X. pag. 205. WILH.  
Then RHYNE, *Meditat.* in HIPP. de *Vet. Med.* p. 178. sqq.  
GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II. p. 748. sqq. et BOER-  
HAAV. *Element. Chem.* Tom. II. p. 139. item p. 144. et p. 169.  
passimque alibi, ut de Vini Tartaro, pag. 197. nec non de Sale  
plantarum, pag. 33. sqq. de Spiritu Frumenti, et aliis, per ignis  
chemici torturam, summa vi expressis, de quibus et vid. HOFF-  
MANN. *Off. Chem.* pag. 211. et pag. 274. sqq. et locis aliis  
pluribus, in isto praestantissimo quidem opere. Quo et in pri-  
mis pertinet mirandus ille phosphori cuiusdam effectus ex adu-  
sta farina, chemice praeparati, de quo vid. BOERHAAVE, *Elem.*  
*Chem.* Tom. I. p. 323. sqq.

§. XXIV.

Possem quidem longe adhuc plures, eosque gravissimos  
omnique exceptione maiores, in eandem sententiam hactenus  
affirmatam ac demonstratam, Testes et Auctores, producere,  
si res nempe haec confessa dudum et explorata, densam eiusmodi  
Testium nubem exigeret, ex quibus iam nominasse tantum  
C sufficiat,

sufficiat, Viros venerandae auctoritatis, incorruptae fidei, et re-  
fissimi iudicii, ROB. BOYLEVM, THOM. WILLISIVM, NEV-  
MANNVM, LEMERY, ETTMÜLLERVUM, ANDR. LIBAVIVM,  
STAHLIVM, SYDENHAMVM, GARMANNVM, RIOLANVM, ne  
alios advocem plures; qui arduum in his veritatis iter feliciter  
sestati fuerunt; frustra licet crepitantibus et contra nitentibus  
aliis nonnullis, ut fieri vulgo solet, quibus scilicet vel ex arre-  
pro semel falso praecidicio, vel coeco animi impetu et dira de-  
plorata defendendi, cupidine, contraria sententia immerito po-  
tior videbatur, veluti PARACELSO, FABRO, CROLLIO, BEGVI-  
NO, HARTMANNO, LANGIO, TACHENIO, SYLVIO, SWAL-  
VIO, et praesertim IACOBO BARNERO, Viro alias Chemiae  
philosophicae peritissimo, et concinnioris, in ipsis rebus tra-  
ctandis, Methodi observantissimo. Verum de his quidem ha-  
ctenus.

## §. XXV.

Sed ponamus iam tantisper, illa ipsa per saevos ignes ex-  
ploratores, producta nova quasi corpora, reapse, ante Examen  
illud igneum acerrimum, ipsis salutaribus Thermarum Vndis  
indita et ingenerata fuisse, licet dispersa adhuc ac disiecta, item  
in individuas particulas distributa, atque in levissima stamina  
segminaque, sive parvissima frusta comminuta et mobililitata, ut  
cum LVCRETIO ita loqui liceat: Tamen, quum, peracto illo  
ipso Examine rigido, nova ista Elementa extra pristinam suam  
ac congenitam Naturam, posituram, Colorem, figuram, ma-  
gnitudinem, Ordinem, duritiem, mollitiem, laevorem, aut con-  
tractum, item gravitatem, levitatem, mobilitatem, aut iner-  
tiiam, et quea fuit id genus forsitan plura, oculis sensibusque  
nostris conspicienda, manibusque nostris palpanda exhibeantur:  
Nemo non, opinor, protinus videt, quam sublestae exinde  
de fidei illa merito sint Experimenta, quantumvis celebratissi-  
ma, atque quam fallaces per consequentiam, omnino censeri  
debeant

❀ ❀ ❀

debeant Argumentorum ex istis quidem deductorum, larvae, sive umbrae tenues luceque carentes: Quando nempe a praesenti turbato quasi et immurato Rerum Ordine, nihil prorsus solidi, firmi certique concludendum fuerit ad contrarium illum priorem statum et Ordinem naturalem, in quo sane omnia illa nativa corpuscula alium longe situm, concursum, motum, ordinem, posituram, figuram, nexum, texturam, cohaerentiam, item qualitatem, quantitatem, proprietatem, mixturam ac societatem habuisse videntur, ut modo monui; dum nempe complexa adhuc inter se atque coglobata, meabant, minimisque stipata partibus, arctissime cohaerebant: Quam, quum postea, per vim ignis furentis indomitam, dissociata, immutata, ac naturalibus suis vinculis subtilissimis violenter exsoluta, sensibus humanis nunc rudia, crassa, satua et indigesta quasi, subiiciuntur; quibus antea, minutatim veluti concisa, mutuisque illis sibi adhuc complexibus tenerimis illigata, et mirabili prorsus foederatione coniuncta, ob nimiam scilicet sui subtilitatem, exiguitatem, exilitatem, et actuosam denique agilitatem, plane fuerant subracta ac denegata. Namque

*Intervalla, Viae, Connexus, pondera, plagae,  
Concursus, Motus, Ordo, Positura, Figurae.*

*Curi permuantur, mutari Res quoque debent*

Vt suavidici potius, quam pii, Vatis, *LYCERETIT* verba huc traham, licet alio sensu, ibi, ab ipso fuerint usurpata.

### §. XXVI.

Prudentissime ergo et solidissime, de horum chemicorum Examini perquam ambigua fide, pro acerrimo suo, quo pollebat, iudicio, et ingenuo candore, ita pronuntiavit Medicus quondam celeberrimus, IO. CHRISTOPH. STRAVSSIVS, in exiguae quidem molis, at eximii plane pretii, Libello, de *Thermis Carolinis*, pag. 25. et pag. 28. *Initio, advertimus*

C 2

diver-

diversorum in hac re, diversam soleritiam, explorandi scilicet, ecquid in se contineant Thermae, et quae praestans generosissimae operationis Vis sit? Quidam enim Destillationis beneficio, quidam praecipitatione, cum aliquorum Liquorum affusione, nonnulli etiam Evaporatione, vel Exhalatione, Experimenta solent suscipere. Sed quantum vanitatis hoc illorum studium habeat, libero cuiusvis judicio permittamus: videantur ibidem, in sequentibus, plura huc apprime facientia, quae tamen iam exscribere omnia, nec vacat, nec lubet. Paucis vero interpositis, ita strenue pergit Vir laudatusimus, sivecque demum fortiter concludit: *Quodsi itaque talia minima per Ignem, dissipentur, vel abigantur; ineptum sane foret, Substantias illas, in Destillationis labore, conspicuas, sive prolecti Phlegmatis, sive Salis, sive Mercurii, aut Sulphuris denique, et Terrae damnatae larva, oculis subiificantur, pro veris Principiis, sive Elementis rei destillatae, venditare.* Quis enim se sponsorem dabit, vel certo decidet, utrum illae per Destillationem, secretae et disjunctae substantiae Concreto integro actu, inextiterint antea, adeoque saltem separentur; an vero potius per Ignem, simul veluti commutentur, mutata scilicet, ut antea dictum, Minimorum figura, situ, cohaesione, et coagmentatione, imo, per Colligationis quendam modum, nova parentur? *Vi adeo facile sit, colligere, probationem Thermarum, pro inveniendis illarum contentis,* hoc modo institutam, vano prorsus conatu suscipi. Id quod vel inde, a posteriori, quod dicitur, elucebit, quod, quamvis protrusae per Destillationem, Substantiae cum Residuo commisceantur, ac Artificio laboriosissimo, denuo combinentur, nunquam ita tamen sibi connubant iterum, ut Thermarum Aquas omnino referant, ac postliminio reddant. Et nonnullis interiectis pag. 34. Ergo praeter illa aquarum Elementa, aeris occursum, in et sub aquae humiditatis exhalatione,

ne, varie combinata, quae nunc sub Boli, nunc Vitrioli, mox minerae Martialis, aut Lapidis Calcarii larva, se sistunt, aliud quid lateat, oportet, a quo mirabilis operandi potestas proveniat. Haec tenus quidem ille. Cui gravissima sua auctoritate pariter suffragatur celeb. noster ETMÜLLERVS, in Epist. LX. ad GARMAN. pag. 260. sqq. ubi aperte fatetur: *Thermarum probationes per praecipitationis modum, institui posse, ita, ut genuina earum principia mineralia, aquo tegmine velata, exinde possint in apertum produci, vix mibi persuadeo.* Deinde adductis argumentis luculentis, ita tandem concludit: *Adeo, ut existimem, Aquarum mineralium per praecipitationem, aut alio quodam tertio adiecto, factam probationem, esse fallacem, quia ex tertio cum prioribus unito, nova entia sensibus imponunt.* Quod pariter recte affirmat ipse GARMANNVS, in Addit. ad PANSÆ AC GOEBELII Hydriatriam Wisensem: Add. et MÜLLER, loco mox citando.

### §. XXVII.

Quae sane cel. STRAVSSII et experientissimi ETMÜLLERI effata longe certiora sunt, quam illa, quae apud Sagram, ut notum tenet proverbium; frustra licet contra nitentibus et temere reluctantibus novis quibusdam Scriptoribus chemicis, praesertim, si tanto majoris ponderis ergo, istis ea adjungantur argumenta et experimenta gravissima ac luculentissima, quæ ex summorum Virorum BOERHAVII, BONHII que, item et HELMONTII, scriptis doctissimis, eundem in sensum, paullo superius, jam in medium attuleramus. Conf. huc citati MÜLLERI *Descript. Histor. phys. Thermarum Volkensteinensium*, Cap. III. §. IIII. pag. 189 sqq. satis copiose et exacte: item HOFFMANN. Tom. V. Opp. p. 135. et BERGER. de *Therm. Carol.* Diss. II. p. 13.

### §. XXVIII.

Verum, si etiam, ponamus modo, de his omnibus contrarium potius statueretur, eaque cuncta haec tenus solidissimis,

C 3

opinor,

opinor, Argumentis jure impugnata, pro veris et indubitatis rationibus, assumerentur: Vnica tamen nihilominus adhuc ineluctabilis propemodum emergit difficultas, quae omnem pacem semel simulque praecidit, ad ipsam intimam Thermarum indolem mirabilem, caussamque medicinalem efficacissimam, unquam penetrandi, verosque ac reconditos earundem mores, et praepotentes operandi modos accuratius indagandi.

### §. XXIX.

Nimirum insignis ille intensusque Aquarum calentium fervor, aequali semper tenore, per tot saecula, exaestuans, isteque in primis Spiritus aethereus quasi, elasticus, volatilis et actuosus, qui ex recens haustis aquis, patulas nares subtili quodam acrique odore illico ferit, seque per mille bullulas perniciiter circumactas, hinc inde, in Vitrīs ac poculis, subito exsurgentes, et in eorundem lateribus ac marginibus, jucundissimo sane spectaculo, coēuntes, liquido manifestat, Principium illud primarium ac palmarium esse jure videtur, in quo mira illa Thermarum Vis medicamentosa ac penetrabilis potetas potissimum delitescit: Ut dudum rectissime observarunt Viri vel post funera, aeternum victuri, STRAVSSIVS, HOFFMANNVS atque BERGERVS, add. PASCHAL CARYOPHILI Diff. de Vſu et præstantia Thermar. Herculān. p. 13. et 19. sqq. Quamvis id a reliquis Thermographis fere omnibus, uno tantum forte excepto Tabernaemontano, solerissimo illo Thermarum ac Fontium medicatorum indagatore, pudenda sane cum oscitatione, et errore vix venia digno, aut plane neglectum fuerit, aut leviter tantum attractum, obiterque notatum: Quum tamen in hoc unico mirabili prorsus phaenomeno, maximum utique Momentum situm sit, ut supra jam monebamus.

### §. XXX.

## §. XXX.

Quare audiamus hic, si placet, laudatum modo HOFFMANNVM, in eximia illa Dissertatione aliquoties jam allegata, de Acidularum atque Thermarum Convenientia, ita verissime scribebentem: provolvimur jam ad subtilius volatile Minerale ingrediens, tantorum effectuum ac virium, quibus valent omnes Fontes medicati, praecipuam ac palmariam caussam. Atque adeo, qui Acidularum et Thermarum nomine, proprie veniunt, ejus participes sunt, et esse debent: et quo minus turgidi hoc ipso sint, eo minus in corpore humano efficiunt. Contra, quo majori copia ejus foecundati sunt; eo efficaciores habentur. Manifestum Spiritus hujus indicium est, Bullularum, ex hisce fontibus, quando recenter hauriuntur, in Vase vitro, copiosior ascensio, quarum origo Elateri hujus Spiritus, in Aquarum poris nidulanti, non immerito est adscribenda: Item paullo post, nonnullis interjectis: *Enimvero, non modo Acidulis, sed et Thermis, mineralis hic Spiritus, qui salubritatis ac Virtutis quasi Anima est, conceditur. Cujus presentiam, inter alia, Bullularum copia ostendit, quam, si recenter, ad fontem, Vitris hauriuntur, abunde deprehendere licet, neque minus penetrantia Saporis, et atramento-sus ac purpureus, quem Gallae injectae conciliant, Color, ejus documentum referunt.* Sed omitto jam plura, ibidem, in sequentibus, in eundem sensum, adnotata, lectu sane dignissima: item ista in primis, quae de eadem re singulari, idem ille acutissime disseruit, Lib. II. *Observat. Physico-Chem. XXXII. de Aquarum mineralium Examine: ut et Tom. V. Opp. p. 135. sqq.* Quibus unicum adhuc, pace quidem Lectoris, accedat Testimonium praestanssi STRAVSSIL, de Thermis Carolinis, p. 35. *Quum superius dixerim, sapientissimi Creatoris iussu, perpetuas Thermarum vires coauisse, humano vero scrutinio facile non evolvendas; absurdi tamen nil puto, inferet, statuere, in particulis lon-*

ge

*ge minimis, sensum omnem effugientibus, et volatilitate,  
quae dicitur, summa praeditis, potissimum ἐνέγκειον esse re-  
conditam.* Conf. et BERGERVS noster, Diff. II. de Therm. Carol.

§. XXXI.

Hoc autem laudatum principium elasticum, vividum, actuo-  
sum, penetrabile, Spiritusque aethereus, sibilissimus, omnia-  
que incredibili paene celeritate permeans, qui Thermis coelesti  
plane munere, inditus, totque hinc mirabiles prorsus, et stu-  
pendos jure, in celerrima desperatissimorum quoque Morborum  
sanatione, effectus quotidie fere, edere solet, omnes omnino  
Chemicorum quantumvis solerterissimorum, ignes exploratores  
fortiter eludit, omniaque Physicorum vel sagacissimorum, au-  
cupia vafre frustratur. Adeo enim usque subtilis atque volati-  
lis ipsius est profecto Natura, ut per rigida et violenta ejusmo-  
di Experimenta exploratoria, sepe nec capi, nec figi, nec inda-  
gari, aut quasi eviscerari ullo modo patiatur. Hinc, ad primu-  
lum mox Ignis Chemici sensum, veluti indignabundus, ruptis  
compedibus, in tenues auras evolat, *par levibus Ventis, volu-*  
*crique simillimus somno,* relictis tantum crassioribus illis et vi-  
sibilibus Substantiis, quodam nempe Martis Vitriolo, Sale Alca-  
lino et Terra Calcaria, ceu totidem Capitibus mortuis, ut vul-  
go quidem dicuntur, per quas scilicet, haec tenus quasi ab ipso  
animatas et igneo vigore agitatas atque exercitatas, ceu per in-  
strumenta quaedam, adeo insolitas atque inexpectatas curationes  
et mirandos prorsus effectus produxerat. Nihil ergo, aut pa-  
rum certe, hic probare potest Chemia, his suis temerariis ausis,  
magna potius minantibus, quam re ipsa, praestantibus: Quin  
potius omnia ipsius experimenta atque pericula, ad capiendum  
et explorandum subtilissimum illum Spiritum aethereum, omnis  
vinculi fraenive impatientem, capique ac retineri penitus indo-  
cilem, etiam quam solerterissime instituta, semper tamen optato  
successu carebunt, atque prudentioribus rerumque physicarum  
peritiori-

peritoribus caduca quasi et fragilia jocularibusque paene cre-  
pundiis consentanea haud immerito videbuntur. Huc enim ista  
vel maxime pertinent SENECAE, Lib. VII. *Natural.* Quaeft.  
Cap. XIX. *Diis solis est scientia Veri: Nobis contra, ri-  
mari illa et conjectura ire in occulta tantum licet.* Quoniam  
de ejusmodi abstrusioribus rebus, frustra haecenus indagatis,  
et frustra semper in posterum, credo, indagandis, aperte atque  
ingenuo fatendum, cum Poeta illo eminentissimi ingenii juxta  
et cultissimae Musae, licet paucis tantum immutatis:

*Non aditus liber patet in praecordia Rerum:  
Sed jam Vestibulum ante ipsum, atque in limine portae  
Stamus; at in medias latet ire profundius Aedes.*

Quod verius utique est, quam illud alias poetae multo iactan-  
tius dictum:

— — — — — *apertos*  
*Iam laxat Natura sinus, veloque remoto,  
Hic nudam sine veste Deam spectamus, et intra  
Limen inaccessum, teclamque admittimur aulam.*

De quo nobilissimo arguento jam olim plura dicta in descrip-  
tionibus metricis ac medicis *Thermarum Wisbadensium* at-  
que *Emserium*, immo et ipsarum *Carolinarum*, Tomo nem-  
pe III. p. 11. sqq. atque IV. pag. 378. sqq. et p. 384. Item  
Tom. V. pag. 89. sqq. poematum *Physico-Ethicorum.*

### §. XXXII.

Quae quium ita sint, ex haecenus non nihil uberiorius dictis,  
liquidissime nunc patescere confido, neque per haec ipsa Ex-  
perimenta chemica, urpote valde adhuc incerta, infida atque  
insolida, certi quid solidique erui posse, de ipsa illa mirabili  
profsus Thermarum Natura, Viribusque salutiferis, quibus sin-  
D gulari

gulari Dei omnipotentis beneficio, in praesentissimum Aegrotorum auxilium, et mitissimum solatium, ditatae atque dotae quandam fuerunt: neque, si etiam certi et comperti quid inde colligi posset, ex ista ipsa cognitione, verique perspicientia ac solertia, ad maiorem sapientiam medicam unquam per venturos esse ipsos Medicos; nec ad citiorem certioremque sa nationem, Aegrotantes.

§. XXXIII.

Quare, quum illa ipsa Thermas perscrutandi Methodus incerta valde incomprehensibilisque sit, uti modo sat, spero, evidenter demonstratum: a certis potius et exploratis, petendum est praesidium, id est, ab his, quae Experientia in ipsis Aegrotorum Curationibus fideliter docuit: Hinc nihil amplius jam superesse videtur, quam ut per crebra admodum experienta, sedulo et prudenter, per complures omnino Annos, in ipsis aegrotis tractandis, tentata, ipsum absconditum Therma rum ingenium et mirabilis illa innata medicandi potestas sensim plenius perdiscatur, atque per observationes quam diligentissime collectas, summaque cum religione, fide ac candore, conscriptas, denique publice doceatur, quibusnam potissimum in Morbis, Vsus Thermarum, ceu dannosus, caute sit vitandus, aut contra, ceu salutaris, impune sit concedendus. Quo ipso maxima profecto utilitas redundabit et in ipsis Medicos, a Thermis in primis ipsis, per spatiosa nimis locorum intervalla interiecta, paullo disjunctiores, atque hinc de earundem Viribus plenius cognoscendis, nondum satis instructos; et in aegrotos pariter, fontibus illis medicatis aliquando, cum fructu, usuros: Ne scilicet, eos frustra impensi laboris, molesti itineris incassum peracti, sumtusque ingentis temere profusi, sero nimis poenitear, quum aut re prorsus infecta, aut in pejus mutato ipso Valetudinis statu, tristes moestique, domum revertantur.

Conf.

Conf. hoc. celeb. PASCHALIS CARYOPHILI Dissertat. de  
Vsi Thermarum Herculanaarum, pag. 33. seqq.

§. XXXIV.

In cuius generis Observationibus praetoris rite sciteque conscribendis, lucidam jam dudum facem omnibus Medicis, et praesentibus, et futuris, praetulerunt illustria illa almae nostrae Germaniae Nomina. Viri scilicet memoriae nunquam interiturae, HOFFMANNVS, inquam, BERGERVS atque SCHACHERVS, item STRAVS SIVS, ut et ADOLPHI, paucique alii. Qui licet ferventes Thermarum Carolinarum aliarumque Aquas rigidiori quoque examini chemico subiicere haud plane neglexerint; at tamen his doctis veluti crepundiis, si ita quidem dicere liceat, haud justo diutius, immorati, mox potiorem suam curam operamque ad ipsas observationes praetoris, in diversi generis aegrotis, caute et circumspete insituendas, prudentissime et utilissime transtulerunt. Quorum illustrium ducum praeclara Vestigia laudabili conatu, hac nostra quidem aetate, persequuntur funi bini praesertim Medici, qui per complures jam annos, Thermae istas frequentarunt, scriptisque illustrarunt; quibus merito addendus celeb. TRALLES, cui Phoebus Apollo duplificem suam artem, medicam nempe ac metricam liberalius indulxit. Ejusmodi enim fidae, accuratae et perspicuae Observationes diligenter collectae et in publica commoda, publicatae, ipsarum Thermarum conservant memoriam, extendunt famam, et manifestius in primis declarant variam earum in medendo virutem ac praestantiam, utilitatem, quin et necessitatem, in iis praesertim morbis, qui diurnas jam moras traxerunt, atque hinc consueta Medicorum imperia pertinacius detrectant, ut jam supra monitum.

D 2

§. XXXV.

## §. XXXV.

Inde iam ab antiquissimis temporibus, ut id hic veluti coronidis loco, commode adiicere liceat, in ipsis quidem Thermis, variae Tabulae votivae suspendebantur, lapidesque inscripti ponebantur, ut exinde clarius innotesceret, quibusnam potissimum in morbis Aquae illae salutares ferventes profuissent, adeo, ut per has breves quidem observationes, advenae, aut praeterirentes admonerentur, quid de salubri illarum effectu sibi aliquando polliceri possent. Quarum Tabularum et Inscriptionum plures adhuc supersunt apud TOMASINVM, CASALIVM, DONATVM, BOSIVM, SPONIVM, Veterumque in primis Inscriptionum sedulos Collectores, GRUTERVM nempe, REINESIVM, GUDIVM, MVRATORIVMque, ubi vid. in primis ill. Bar. JOSEPHI BIMARDI Diatriba de *dīis quibusdam ignot.* Cap. VIII. p. 59. apud MVRAT. T. I. ut et cl. EKHARTI Diss. *de Apolline Grammo, Mogouno, in Analect. Hass. KYCHENBECKER.* Collect. III. item *Miscellan. Obff. crit.* Nov. DORVILL. Tom. IV. pag. 173. et cel. REIMARI Obs. ad DIONCASS. Lib. LXXVII. pag. 1301. Tom. II. denique et poem. nost. Tom. III. p. 4. quibus novissime accessit laudatissimus jam supra PASCHALIS CARYOPHILVS, in doctissima Dissertat. *de Thermis Herculani,* nuper in Dacia detectis, ubi plures ejusmodi Lapidès votivi et eucharistici, ut sic loquar, pro salute, aut jam impetrata, aut adhuc impetranda, una, jucundo Lectionibus spectaculo, exhibentur: item apud SCHENCKIVM, in ipsius Memorabil. Wisbaden Cap. I, §. 20. pag. 30. seqq. ut et in *Thermographia Wisbadensi,* ubi et aliquot ejusmodi faxa inscripta deprehenduntur, olim circa Wisbadenam eruta ac reperta; sed non fatis bene ibi explicata; de quo forsitan alibi plura.

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Quorsum et potissimum pertinet celeberrimus iste *Lapis* antiquus *Borvonenſis*, aut *Borbonensis*, in honorem famamque istarum *Thermarum Bourbonenſium*, de quibus vid. *CAMILLI EVCHERII INARIME*, poema, Lib. II. p. 106. et Lib. V. p. 253. in Not. in hunc usque diem, uncunque servatus; quem diversa quidem facie et inscriptione retulerunt *GRVTERVS*, Tom. I. pag. CX. *REINESIVS*, pag. 176. *MVRATORIUS*, Tom. I. pag. CVII. et *GVDIVS*, f. 64. 8. item *STROBELBERGERVS*, in *Descript. Galliae*, *AVBERIVS*, *de Thermis Bourbonenſi*. alii-que, laudati jam ab illustri dignitate juxta et singulari doctrina Viro, *IO. BOVHIERO*, qui vero ipſe veram et accuratam ipsius Inscriptionem, a Genero suo autopta, procuratam, haud ita pridem exhibuit, strenueque in illa doctissime explicanda, ſe exercuit una cum celeb. et Antiquitatum peritissimo Viro, *IO. GASP. HAGENBVCHIO*, in eruditissimis huius *Epiſtolis Epigraphicis*, pag. 26. 27. in primis, p. 38. 39. 105. sq. 253. fqq. 255. 261. et pag. 454. etc. Sed en nunc ipſam illum Inscriptionem, omnibus quidem servatis ipsius apicibus:

BORVONI. T  
MONAE. C. IAT  
TINIVS. RO  
MANVS. IN  
G. PRO. SALV  
TE COCILIAE  
FIL. S. EX VOTO.

## §. XXXVII.

Quum vero mera propemodum aenigmata continere videatur hic ipſe Lapis, vetustate nonnihil corruptus; mirum profecto

D 3

fecto non est, multos eruditorum, ad istum quidem subinde offendisse, et multa peregrina infeliciter excogitasse. Magnus alias REINESIVS hic certe consuetae illi magnae de ipso, expectationi nequaque respondet, dum nempe totam hanc Inscriptionem pro inepto novi cujusdam impostoris invento habet, tandemque pro BORVONI THMONAE, legendum censet DORDONI DAEMONI, seu Δέρδων δαιμόν, ex quodam obscurō scilicet et corrupto PLATONIS *Comici* fragmento, apud ATHENAEVM, Lib. X, cap. XI. p. 442. Heu! frustra omnino. Quid enim obscurus iste et obscoenus Daemon Dordon, hoc faciat, ne ipse quidem sagacissimus alias REINESIVS explicare valuit. Accedit, vel maxime, ignotum plane esse istum quidem turpem *Dordonem*, et ipsum hinc CASAVBONVM, in *Animadvers.* ad istum locum, Cap. XI. Lib. X. pag. 736. legere maluisse rectius Δέρδων, nempe a Λέρδος; quoniam scil. istud ambiguum Δέρδων, ipso judice, graecam originem non habeat. Neque forsitan multo melior hic est ampliss. CUPERI conjectura, legentis scilicet pro *Thmona*, aut *Tomona*, potius POMONA. Quum enim mitis ista dea Pomona, ipso OVIDIO teste, *Metamorph.* L. XIV. rus tantum amet, foecundos hortos, et ramos felicia poma ferentes; non autem amnes, aut aquas: facile hinc, opinor, apparer, ipsi prorsus invitae commissam veluti hic fuisse custodiā ac tutelā Thermarum illarum Borboniensium. Sed omitto jam brevitas studio, alias aliorum hariolationes ac divinationes, quibus vero excogitandis ipsa diva Critice haut propitio nomine adfuisse videtur.

### §. XXXVII.

Meliora ergo et probabiliora nobis dederunt Viri jam supra merito laudati praefantissimi, et in his ipsis literis elegantioribus versatisim, BOHIERIVS nempe, atque HAGENBVCHIVS, qui scil. ingeniose legebant BORVONI TOMONAE: ita, ut forsitan

forsitan *Borvo* ipsa sit illa Dea, vel Nympha, in cuius quidem tutela, ex veteri religione, aut rectius superstitione, fuerunt quondam Thermae istae Boryonienses, cui praeterea cognomen additum *Tomona*, nempe a *Luto Thermarum*; quoniam scilicet *Tom*, veteribus Celtis idem fuerit, ac *Lutum*, teste veteri DAVIESII Lexico, apud BOXHORN. in *Origg. Gall.* pag. 57. Nec forte multum huic quidem conjecturae obstare videatur, quod ipsum *Borvo* idem quoque sit ac *Lutum*, nempe a βόρειος, aut *furvus*, unde *bourbe*, et *Borba*, item *Borbor*, apud CANGIVM: quum haec ipsa ταύτη γένη, ut primam quidem frontem, videntur, facile leniri, inter se conciliari, et ipsis exemplis firmari posse, credat celeb. HAGENBVCHIUS, pag. 27. qui ceterum pro sua modestia, haec omnia, ut conjecturas adhuc ambiguas, merito, in medio relinquit.

### §. XXXIX.

Quod si vero vel post hos celeberrimos duumviros, nostram quoque subitam calidamque, ut sic dicam, conjecturam circa hunc ipsum Lapidem, venerabilis quidem antiquitatis, sed et impenetrabilis fere simul obscuritatis, proferre modeste licet, ut certe sunt libera in Republica literaria, judicia et suffragia; praesertim in ejusmodi argumentis dubiis, obscuris et reconditis, ipso cl. HAGENBVCHIO ingenue fatente, et ultro concedente, pag. 285. et passim alibi: forte hic legendum fuerit mea quidem sententia: BORVONI THERMONAE, aut BORVONIAE THERMONAE, scilicet ἀπὸ τῶν Θερμῶν, seu à fontibus calidis, quasi dixeris BORVONEM CALDARIAM. Ita nimur, ut BORVO illa ipsa sit Nympha, sive Dea, quae istic quidem Thermis Boryoniensibus et olim et nunc quoque celeberrimis, cœu Numen tutelare, praesit. THERMONA vero, Graece Θερμών, vel Θερμονή, eodem sensu, hic dicta esse videtur, ac alibi appellata fuit dea alia, a pari

a pari Thermarum praesidio, THERMAEA, Θερμαῖα; quomo<sup>d</sup> nempe ex eadem ratione, Diana vocabatur, quod ipsa praecesser Thermis Aesepiis, in Mysia, insignis olim famae: ut vel ex ipso GALENO constat, Lib. XI. de Simpl. Medicam. Fa- cultat. cap. I. pag. 296. Tom. XIII. et alibi, add. Collectan. Hist. de ARISTIDIS Vita, Sect. III. 6. sqq. Sect. VII. 2. et ad Ann. Aer. vulg. 169. N. I. quod clarissime testatur ipse AFL. ARISTIDES, dum Sermone sacro IV. pag. 322. Tom. I. eximie laudat Ἀγτε- μα Θερμαῖαν, ἢ τὰς πηγὰς τὰς θερμὰς ἔχει, seu Dianam Ther- maeam, aut Thermensem, quae in sua tutela ac potestate ha- beat ipsos illos fontes calidos Aesepios: ubi in Notis, pag. 564. Tom. II. haec obseruat cl. Editor, SAM. IEBB: vocabuli THERMAEAE, Θερμαῖας, originem verbis proxime insequen- tibus explicat ARISTIDES: ἢ τὰς πηγὰς τὰς θερμὰς ἔχει; ipsa vero appellatio vix alibi est reperienda. Quod ve- rum utique est: Nam nec apud PAVSANIAM, CALIMA- CHVM, ORPHEVM, HOMERVM, HESIODVM, APOLLODO- RVM, nec aliud quenquam Veterum, quantum equidem memini, nec denique apud ipsum GYRALDV, qui innumera propemodium ipsius Diana nomina et cognomina quam dili- gentissime collegit, quoniam ipsa nempe est πολυώνυμης, imo μητέρων πηγής, teste IS. VOSSIO, ad CATULLVM, pag. 84. ulla usquam huius quidem Dianae Thermaeae mentio fuit facta. Interim tamen apud GRVTERVM, in Append. Deorum Dea- rumque, Tom. II. Fol. MLXVI. 14. 15. binae occurunt veru- stae Inscriptiones Lesbiae, quae pariter Ἀγτεμίδ. Θερμά, seu Dia- nae Thermiae, dedicatae fuerunt: ad quas haec paucis notat ipse GRVTERVS: In Lesbo Insula ad Balnea Iovialia, vulgo Θερμαῖα, Basis marmorea. Videtur ergo, nisi fallor, ratione originis ac cognominis, haec ipsa Lesbiaca Diana Thermia, eadem forsitan esse, ac illa ARISTIDIS Aesepia Diana Ther- maea, nempe ἀπὸ τῶν Σερπίων, seu a Balneis calidis, praesertim quam

quum ipsi Deae in altera Inscriptione Lesbiaca GRVT. illius quidem antiqui Monumenti posidores ac conditores manifesto tribuant, aut dedicent τὴν οὐρανού, hoc est κεφαλήν, καὶ τὸ υδέαγωγόν, fontem scilicet et aquae ductum. Quae quidem, non nego, tam de fontibus calidis, quam de gelidis, etiam satis commode intelligi possunt: namque et frigidos fontes et ipsa flumina in Dianae tutela fuisse, constat inter alia, ex istis MAXIMI TYRII, *Dissert.* XXXVIII. pag. 378. Ἱερὰ ἀγέτειδος πηγαὶ ναυάρτων, sacra sunt Dianae ipsi fontes laticum, unde et scite vocatur ab ipso PINDARO *Pyth.* Od. II. Ἀγέτειδος ποταμία, Diana fluminum Praeses, ubi videndus verus Scholia festes, pag. 170. et in Veteri Inscriptione apud GRVTERVM, Tom. I. Fol. XXXIX, 8. reperta quondam in Transsilvania, ad Waradinum, in Thermis, dicta hinc videtur DIANA REGINA VNDARVM, dubitante licet adhuc ill. CUPERO, in *Monumentis antiquis ineditis*, pag. 233. Horpocrati ipsius adjectis. Conf. et KEYSLERI *Antiquit. Celt.* p. 255. quae tamen et ipsa de Diana fluviali, aliis vetustis Auctoribus supra jam laudatis maximam quidem partem, ignota sunt. Praefata tamen hic in his Inscript. Lesbiis τὴν ἀγέτειδον Θερμάνην, de Thermis potius interpretari, ob vicina scilicet Balnea ista Iovialia. Quod si enim forte etiam a loco quodam, vel oppido, ira denominata fuerit; ut varia olim fuerunt oppida Therma, aut Thermae dicta, ceu luculenter patet EX STEPHANO BYZANT. PTOLEMAEO, PLINIO, POLYBIO, MELA, CELLARIO, CLVVERIO et aliis; illa tamen omnia etiam a Thermis ipsis vicinis, seu Balneis calidis, pariter nomen suum traxisse, satis constat. Nostra igitur BORVONIA THERMONA, ut revertar, unde digressus fui, ratione nominis, originis, officii, ac dignitatis, eadem forte esse videtur, ac DIANA THERMÆA *Aesepia* ARISTIDIS, et DIANA THERMIA *Lesbia*, GRYTERI, ut supra jam inuebamus. Equidem ingenue fateor, ipsam illam vocem THER-

E

MONAE,

MONAE, mihi hucusque alibi nondum lectam, aut deprehensam esse; verum et THERMAEA ARISTIDIS, et THERMIA GRVTERI alibi pariter frustra quaeritur, ut supra jam monitum fuit. Interim tamen Analogia sic dicta grammatica hic neutiquam repugnat: Sicut enim ex Χαίρω fit Χαρονή, ex Φλεγμώνι, Φλεγμωνή, ex ἐνΦέρων, ἐνΦέρον, et, ut alia id genus plura jam taceam, ex πησάνω, πησονή; ita pariter ex Θέρω, seu Θερωνή, satis commode deduci potest Θερμώνη, seu Θερμονή, ut supra jam notatum, uti et Θερμωλή, Θερμέλη et Θερμή, sic consueto more, inde derivari solent. *Thermona* vero hic quidem eadem fere forma et norma dictum esse viderur, ut *Pomona*, *Angerona*, *Anemona*, *Hermiona*, *Hippona*, seu *Epona*, *Erigona*, *Epiona*, *Mecona*, *Titbrona*, *Rittona*, incognita dea apud MVRATOR. Tom. I. Fol. CVIII. *Thesaur. Inscr. λοιδόνα*, seu λοιδώνη apud SVIDAM, et ipsum cl. HAGENBUCCHII *Tomonā*, alias nusquam occurrens, atque talia sexcenta alia, ubique obvia. Facillime igitur, sua quasi sponte, nullaque prorsus violentia, ex *Thmonā* GRVTERI ac REINESII, aut *Tomonā* MVRATORII, *Thermona* nostrum formari posse, quod hue certe apprime facere videtur, nemo forte aequiorum Lectorum, ut quidem speramus, plane inficiabitur. Utinam vero his quidem deabus *Thermonis*, *Tharuaeis* ac *Thermis* adjungere denique secure hic liceret ipsum quoque *Apollinem Thermiten*, quasi Thermarum Numen, ut quidem post BACCIUM, Lib. VI. c. 28. ingeniose legendum censet praestantissimus Vates, CAMILLVS EVCHERIVS de *Quintiis*, in *Inarime*, seu de *Balneis Pitbecusarum*, Lib. II. pag. 69. in *Not.* Sed diversa plane hujus ipsius Apollinis lectio, apud SVETON. *Tiber.* c. 74. et CICERO. Lib. IV. in *Verrem*; de qua vid. ibi GRVTER. item GYRALD. *Syntag.* VII. p. 45. et TVRNEB. *Advers.* Lib. VIII. cap. II. p. 256. aliosque, me utique dubium ac suspensum tener, ne calide nimis et audacter quidquam afferam de isto quidem  
Apolline

*Apolline Thermite*; licet alias notum satis sit, ipsas quoque praeserrim Thermas in turela et custodia fuisse Dei istius salutiferi, Apollinis scilicet: Vnde in Veteribus saxis saepius occurrat Nomen *Apollinis Granni* et *Mogouni*, quod nempe iste Deus praesest *Thermis Grannensibus*, hodie *Aquisgrannensibus*, ut et *Moguntiacis*, seu *Mattiacis*, PLINIO, AMMIANO, TACITO, PTOLEMAEO, et alias sic dictis, hoc est *Wisbadensibus*, prope *Moguntiam* sitis, ut notum: recte sic censentibus CLVVERIO, CELLARIO, *Geograph. antiq.* Tom. I. Lib. II, cap. 5. pag. 474. et aliis Geographis, item HARDVINO, ad PLIN. Tom. II. pag. 549. Quanquam enim de hoc *Apolline Granno*, *Mogouno* in diversas quidem sententias abierunt viri illustres et Antiquitatum peritissimi, IOSEPH. BIMARDVS, CVPERVS, MVRATORIVS, KEYSLERVS et alii jam supra laudati; attamen cel. ECKARTVS, in doctissima diatriba *de Apolline Granno Mogouno*, argumenta attrulit haud plane spernenda, quibus probare satagit, illum quidem *Apollinem Granum Mogounum*, praesidem fuisse istarum celeberrimarum jam antiquitus *Thermarum Aquisgraneum* nempe atque *Wisbadensum*, seu *Mattiacarum*: qua de re quam jam superius paucis quaedam dicta sint; hic quidem in novam dissertationem descendere, non satis opportunum videatur: nobis scilicet ad finem, seu ultimum *Thermarum Terminum*, jam properantibus. Interim vid. OETTERI *Syllog. Hist. document.* Vol. I. Part. IV. pag. 401. seqq. et SCHENCK. *Memorab. Wisbad.* supra laudat. Cap. I. pag. 30. seqq. et alios plures ibi citatos.

#### §. XL.

Quae vero ceterum adhuc circa reliquas quidem voces obscuriores, nempe IATTINIVS, item ING. et denique COCHILIAE, monenda videantur; an scilicet prius illud per LATINIVS, alterum autem, ING. per in *Gallia*, aut *Singularis*,

*gularis*, item *Lingonensis*, aut *Ingenuus*, vel, ut nobis quidem obiter videtur, per IN GRATIAM, aut IN GLORIAM, et tertium denique per *Cocilla*, vel *Codicilla*, sit interpretandum, aut immutandum; de quibus momentis omnibus strenue, docte et copiose inter se disputarunt praestantissimi illi diuumviri BOUHIERIVS AC HAGENBVCHIVS, jam supra merito aliquoties laudati; Haec quidem cuncta nunc consueto in medio relinquimus intacta, et commodiori forsan occasione reservamus, quoniam nempe ad praeſens nostrum institutum nunc quidem parum facere videntur. Praesertim, quum jam forte iufto diuriis his ipsis suavioribus et jucundioribus commentationibus inhaefiſſe non nemini, forsan morosiori, omnino videamur. Interea vero haec ipsa de BORVONE THERMONA, Melatremata philologica Lectorum rigidiorum, ut spes est, pace, huic nostrae Dissertationi severioris paullo ac subtilioris argumenti, ceu amoenum quoddam conditum, adjicere nobis placuit, haud quidem ignaris illius acutis CRATINI moniti:

Oὐ παντὸς ἀνδρὸς εἴναι, αἰετύτοι καλῶς,

*Condire ex Arte, haud hominis est cuiuslibet.*

Vtinam vero aliqua tantum ex parte, subitae tenuique huic nostrae opellae aptari posset notissimum illud Horatianum:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*



V  
D  
A8

**ULB Halle**  
005 361 745

3





B.I.G.

Black

White

3/Color



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

Green

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

DISSESSATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

F A L L A C I A  
EXAMINIS CHEMICI  
IN EXPLORANDA  
INTIMA THERMARVM NATVRA.

Q V A M

P R A E S I D E

D A N I E L E W I L H E L M O  
T R I L L E R O

PHILOS. ET MED. D. CONSILIARIO AVL. ELECT.  
MEDICINAE PROFESS. PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.  
SCIENTIAR. BONONIENSIS SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPTERANDO

D. XV. MAII A.N. C I C I O C C L X V I I

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITIT  
I O A N N E S F R I D E R I C V S M I C H A E L I S

W V R C E N E N S I S

MEDICINAE CANDIDATVS.



W I T T E B E R G A E ,

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.

